

tyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.

℞. Verbum eundem factum est, & habitavit in nobis. * Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis, alleluia, alleluia.

℞. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. * Et vidimus.

Lectio II.—Isai, Cap. II.

Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitiâ pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.

℞. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph: Ave, Maria, gratiâ plena, Dominus tecum; Ecce concipies & paries Deum pariter & hominem. * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres, alleluia.

℞. Paries quidem filium & virginitatis non patieris detrimentum; efficiaris gravida & eris mater semper intacta. * Ut benedicta.

Lectio III.—Isai, Cap. 62.

PROPTER Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti reges in-

clytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in eâ, & terra tua inhabitata quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.

℞. Cùm esset desponsata Mater Jesu, Maria, Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, * Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. † Quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est, alleluia, alleluia.

℞. Pariet autem filium & vocabis nomen ejus Jesum. * Joseph. Gloria Patri, &c. † Quod enim.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. Postquàm completi sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem parentes ejus, ut sisterent eum Domino. Alleluia

Ps. Eructavit cor meum.

Ps. Deus noster, refugium & virtus.

Ps. Fundamenta ejus.

Antiphona. Postquàm completi sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem parentes ejus, ut sisterent eum Domino. Alleluia.

℞. Ave, Maria, gratiâ plena, alleluia.

℞. Dominus tecum, alleluia.

Pater noster

Absol. Ipsius pietas, &c.